



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

CXXXI. Johann, Bischof von Camin, bestätigt die Stiftung und Bewidmung eines Jacobi-Altars in der Johannis-Kapelle zu Prenzlau, am 16. October 1364.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

Datum Prentzlow, Anno Domini MCCCLXIII, ipso die exaltationis sancte crucis, nostri conventus ac nostri Prepositi sub sigillo presentibus appenso in Testimonium omnium premifforum.

Aus einer Copie.

CXXXI. Johann, Bischof von Camin, bestätigt die Stiftung und Bewidmung eines Jacobi-Altars in der Johannis-Kapelle zu Prentzlaw, am 16. October 1364.

In Nomine Domini Amen. Johannes, Dei gracia Episcopus Ecclesie Caminensis, Ad perpetuam rei memoriam. Spiritualem altissimo speramus impendere famulatum, cum opera et operam nostram diligentem circa cultus divini augmentum apponimus, quod tunc vere factum credimus, Cum ea, que a Christi fidelibus usus divino fuerint deputata, ne imposterum usibus profanis valeant applicari, Quemadmodum nobis competit, autoritate nostra ordinaria stabilimus. Sane vidimus et audivimus literas patentes Illustrium Principum Dominorum Ludovici Romani et Ottonis, fratrum, Marchionum Brandenburgensium, super donatione Proprietatis quatuor mansorum in campis ville Bombgarden prope Prentzlow site — Et per discretum virum, Henningum Hoppen, Civem Civitatis Prentzlawie predictae, ad fundandum et dotandum unum Altare perpetuum de Consensu expresso honorabilis viri Domini Alberti Lifzken, Prepositi, et religiosarum Dominarum Margarete, Abbatisse, et Hildegart Strez, Priorisse, totiusque conventus Sanctimonialium in Prentzlaw, Sancti Benedicti ordinis, in Capella Sanctorum Johannis Baptiste et Evangeliste dicte Civitatis in honorem Sanctorum Apostolorum Jacobi majoris, Mattheie ac Clementis et beate Marie Magdalene donatorum, non raras nec abolitas, sed sanas et integras, ac omni prorsus suspitionis vicio carentes, quarum tenor sequitur in hec verba. (Einschaltung der vorstehenden Urkunden der Markgr. vom 21. Juni und des Klosters vom 14. September 1364). Nos igitur prefati Henningi Hoppen, civis civitatis Prentzlawie antedicti, nobis humiliter supplicantis, ut predictum Altare cum quatuor mansis dictis cum proventibus, que ab ipsis poterunt derivari, ad usum perpetuum Altaris memorati confirmare dignaremur, precibus condignis inclinati, supradictum Altare cum IV mansis premisis et cum omnibus redditibus, obventionibus, provenientibus ex eisdem una cum dispositione Juris patronatus Altaris ejusdem, nec non consensum Prepositi Abbatisse, Priorisse ac conventus Sanctimonialium in Prentzlaw, Ad hoc adhibitum, rata et grata habemus eaque omnia autoritate nostra ordinaria nobis in hac parte competente in Nomine Domini in his Scriptis confirmamus. Inhibentes et interdicentes sub pena Anathematis et maledictionis eterne, ne potestas secularis vel quivis alius cujuscunque dignitatis, Status et conditionis, futurum vicarium Altaris sepe dicti, qui pro tempore fuerit, ad istud catholice institutus, in suis mansis vicariorum proventibus quoquo modo impediatur vel perturbetur, sicut omnipotentis Dei et nostram evitare voluerit catholicam ultionem. Datum Corlyn, Anno Domini MCCCLXIII, in die Galli et Lulli Martyrum beatorum, nostro majori sub sigillo presentibus appenso In Testimonium evidens premifforum.

Nach einer Copie.